



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

De Chirothecis, & earum usu.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

De Tunica & Dalmatica episcopali, earumque forma, colore & usu.

XI. **D**E Tunica & Dalmatica quatenus Subdiaconi & Diaconi sunt indumenta, mox agam, cum de Ministrorum vestibus incidet sermo: nunc de illis agendum, quatenus inter sacras Episcoporum vestes recensentur. Ordo Romanus utriusque meminit, cum episcopalia enumerat indumenta; & unam quidem Dalmaticam minorem, alteram Dalmaticam majorem nuncupat. Tunicam Amalarius lib. 2. cap. 22. hyacinthini coloris fuisse ait, & subuculam nominari. In Missa Illyrici *subilis* nomine indicatur, cui suffragatur Gemma animæ lib. 1. cap. 229. dicens, *Subdiacono supradictæ vestes conceduntur, quæ scilicet sunt ministrorum inferioris gradus, in super due alie, id est subtile & sudarium adduntur. Subtile, quod & stricta tunica dicitur, portat ut se iustitia quasi lorica induat.* Olim tunica episcopalis coccinei coloris erat, ut vel ipsæ picturæ veteres ostendunt; Dalmatica verò albi, purum referens & incontaminatum sacerdotis statum, ut scribit Simeon Theffalonicensis. Usus ejus antiquissimus esse Auctor quæstionum veteris & novi testamenti evincit, cujus hæc sunt verba quæst. 46. *Quasi non hodie Diaconi Dalmaticis induantur, sicut Episcopi.* Hic autem, sive sit Hilarius Diaconus, ut plerique existimant, sive alius quispiam, se scripsisse testatur quæst. 44. trecentis annis post Hierosolymæ exidum, quæ urbs capta & destructa fuit anno Christi LXXI. Non omnes tamen Episcopos passim Dalmaticis usos credendum est: sanctus enim Gregorius lib. 7. epist. 113. Aregio Episcopo sic scribit. „Communis filius „Petrus Diaconus nobis innotuit, quod fraternitas vestra, tempore quo hic fuit, poposcerit, ut sibi & Archidiacono suo utendi Dalmaticis licentiam præberemus. Et post pauca. „Hujus auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te & Archidiaconum tuum Dalmaticarum usu decorandos esse concessimus; eosdemque Dalmaticas filio nostro Cyriaco Abbate deferente transmisimus. Ex cujus concessionis tenore deducitur, usum Dalmaticarum Episcopis ab Apostolica sede tributum fuisse. In Missa Ratoldi apud Menardum inter indumenta episcopalia unius dumtaxat tunicæ fit mentio, *Super hæc*, ait, id est accepta stola, *ministratur ei tunica gyris in tintinnabulis mirificè ressecta*, ad

similitudinem scilicet Aaron sacerdotis. Ut enim observat Stephanus Eduensis lib. de Sacram. Altaris cap. 11. quidam Pontifices una, alii duabus tunicis utebantur; quod etiam notavit Durandus lib. 3. cap. 10. *sui Rationalis.*

De Chirothecis & earum usu.

XII. **C**Hirothecas Apostolicæ traditionis esse scripsit Honorius in Gemma animæ lib. 1. cap. 215. *Chirothecarum usus*, inquit, *ab Apostolis est traditus: ab Apostolis*, inquam, non *ab epistolis*, ut perperam in edicis legitur. Sed hoc credibile non est, cum per aliquot sæcula nullum earum monumentum reperiatur, nec illis unquam usa sit Ecclesia orientalis. Porro chirothecas latinâ voce manicas nuncupant antiqui scriptores, qua usus est Plinius lib. 3. epist. 5. ad *Macrum*, quæ de studiis & lucubrationibus Plinii senioris avunculi sui est: *Manus*, ait, *hyeme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet.* Ordo Romanus agens de ordinatione Episcopi, hanc orationem dicendam præscribit, quando electus induitur manicis. „Immensam clementiam tuam rogamus omnipotens & piissime Deus, ut manus „istius famuli tui fratris nostri, sicut exterius „obducuntur manicis istis, sic interius aspergantur rore tuæ benedictionis. In Missa Ratoldi apud Menardum manicæ etiam cum aliis Pontificalibus indumentis memorantur. Et in Missa Illyrici extat oratio ad induendas manus. Ex his autem colligitur, quanta sit earum vetustas. Usus denique chirothecarum à Leone IX. concessum Abbatibus Cassinensibus Leo Ostiensis supra relatus asserit, & eo antiquior Ordo Romanus in ordinatione Abbatis ex canone Theodori Archiepiscopi Cantuariensis, qui obiit anno 690. post datam ei ab Episcopo Regulam ait, *Tunc tradat ei chirothecas & baculum.*

De Annulo, ejusque antiquitate & usu.

XIII. **N**on est hujus loci Annulorum originem investigare, sed & superfluum est: nam Gen. 38. Judam legimus annulum & armillam gestasse, nec ullus ferè liber est in veteri Testamento, in quo ejus mentio non fiat. Usus autem ferendi annulum à Christianis receptum fuisse, Clemens Alexandrinus l. 3. *sui Pædagogici* c. 11. testis est. At verò Episcopis inter reliqua sui Ordinis insignia traditos annulos, mille & amplius annorum testimonia habemus, tum in Ordine

M m m

R o s